




MAISON
SCHORTGEN - NOESEN
ATELIER DE RELIURE

Rue M. Muller-Tesch - Tel. 55 28 36
ESCH s/ ALZETTE LUXEMBOURG



N.A. 351545

B. D.

272 "17" (093)

Inquis. - E. V. - 285

MD




IN VERITATE
LIBERTAS

UNIVERSIDAD SAN PABLO CEU
BIBLIOTECA
EMILE v.d. VEKENE



Faint text at the top of the page, possibly a title or header.



Faint text at the bottom of the page, possibly a library or archival stamp. The text is mirrored and includes the words 'UNIVERSITY OF TORONTO' and 'LIBRARY'.

N.A. 351915

BC: 88.787

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

QUA

INQUISITIONIS
PONTIFICIÆ INIQUITAS

EX

IPSO EJUSDEM TRIBUNALIS CATALOGO ANNO 1713.

6. AUGUSTI CONIMBRICÆ PUBLICATO
EVINCITUR,

QUAM

AUSPICIIS

SERENISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.

ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSES

JOH. ADOLPH. HARTMANN,

HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.

ET

RESPONDENS

JOHANN. CHRISTOPHOR. ROSS,

KERSPENHUSA-HASSUS.

PLACIDÆ DOMINORUM COMMILITONUM
DISQUISITIONI

AD DIEM OCTOBRIS MDCCXXXVII.


IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO

HORA X. MATUTINA

SVBȚICIENT.

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.

Collection
Emile van der Vekene
Luxembourg



Inquisitionem, quam vocant, Hispanicam, utut multo opere commendavit JOH. PAUL. WINDEKIUS in sanguinaria sua *Deliberatione de Heresibus extirpandis*, quam libro suo, *Prognosticon futuri ecclesiae status dicto*, & Coloniae sub initium seculi superioris impresso, inseruit; esto eo-

dem tempore in Polonia Pontificius Clerus, conventu celebrato, ingentem Regi Sigismundo pecuniae offerret summam, qua ad eos uteretur extirpandos, qui Protestantium partibus accessissent; quod, ut ANTONIUS POSSEVINUS in Epistola ad Regem scripserat, una Inquisitio certissimum esset medium dissidentes aut tollendi aut cum Romana Ecclesia uniendi; imo Sacri ea Officii titulo & axiomate licet gaudeat, &, dum quam justissime agere credi vult, Ecclesiae Romanae fulcrum ejusdemque in puritate sua conservandae certissimum dicatur medium: Nos tamen, actum nos agere, non putabimus, si omissis iis, quae de metuendo hoc Inquisitionis Tribunali fuse dedit LIMBORGIUS, PAULUS SARPIUS *Discorso dell' origine dell' inquisizione*, EMERICI *Directorium inquisitorum*, & Auctor Gallus in tractatu inscripto: *Histoire de l'inquisition de Goa* proprio

doctus usu conscripsit, aut quæ etiam Species Facti in Sa-
 chen des Marchesen FRANCISCI BELLISOMO, Abten
 ad S. Mariam ad Perticas, Römischen Prælatens und Referen-
 darii utriusque signaturæ in Rom / mit der Congregation
 des Heil. Officii der Inquisition, vom Jahr 1701. bis 1727:
 edita Jenæ 1728. in 4. memorat, ipsum personarum Cata-
 logum, quæ An. 1713. die VI. Augusti ex carcere inquisitio-
 nis Conimbricæ prodierunt, adjectisque sententiis, ex au-
 thoritate Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Presbyteri NUNI
 DA CUNHA, Episcopi, Sacellani majoris & Regii Status Con-
 siliarii in eas latis, typis Lusitanicis eadem in urbe descriptum,
 disputationi huic nostræ subjiciamus, ex ipsis hisce publicis
 actis dijudicaturi, quid de Tribunali hoc jure sentiendum sit.

§. I.

Occurrunt primæ hoc in Catalogo personæ duodecim,
 quarum quatuor priores, *Antonius Gonsalves* operarius &
 inhabitator parochiæ S. Johannis de Corveira in confinibus
 urbis Aquæ Flaviæ Archiepiscopatus Braccarensis, quod ad-
 versus certam personam falso jurarit in Tribunali S. Officii,
 condemnatur, ut quinque annis in Regno Angolæ exulet, &
 parti offensæ 20000. realium (a) dissolvat. Eandem poenam
 subire jubentur *Franciscus Gomes* & *Petrus Gomes* operarii
 & ejusdem parochiæ incolæ, ejusdem perjurii rei; *Baltha-*
sar vero de Souza operarius & natus Paradellæ de Veiga, in-
 cola supra dictæ parochiæ S. Johannis ob idem crimen sex
 annorum exilio & mulctæ 60000. realium, parti læsæ dissol-
 vendorum, addicitur. Pater *Manuel Rodrigues*, Subdia-
 conus, natus in parochia S. Leocadiæ in vicinia urbis Aquæ
 Fla-

(a) Summam id nostratis monetæ sexaginta fere Imperialium
 efficiet, ex quo calculo reliquorum etiam multa pecuniaria
 intelligi facile poterit.

Flaviæ, quod falsum ex intentione in eodem tribunali scripserit, octo annorum in Regno Angolæ exilio, suspensione ordinis sacri & ineptitudine ad alios suscipiendos castigatur. Pater Frater *Balthasar Teyxera Rebello* Vicarius & Beneficiarius Ecclesiæ S. Johannis de Corveira Ordinis Melitensis, quod & ipse falso jurarit, & falsos subordinarit testes, ut innocens a tribunali inquisitionis condemnaretur, uti & Pater *Matthæus Alvares de Carvalho* Vicarius & Beneficiarius Ecclesiæ Salvatoris de Nozedo, ob idem delictum, decem annorum exilio, in Angola tolerando, suspensione perpetua ab ordinibus sacris & multa 80000. realium, parti læsæ dissolvendorum, damnantur. Pater *Gregorius Johannes de Carvalho* Sacri Officii Commissarius, Rector Ecclesiæ Parochialis, a S. Leocadia dictæ, quod sciens & volens falsum in tribunali S. Officii commisit, suspenditur ab ordinibus sacris, spoliatur officio Commissarii, & , qui huic tribunali serviat, ineptus declaratur, pœna 100000. realium, parti læsæ solvendorum, damnatur, flagris etiam discerpendus & 10. annos ad triremes damnandus decernitur. *Thomas vero Affonso*, incola vici Conselis in vicinia urbis Bragantiæ, quod se finxerit S. Officii Commissarium, & absque inquisitorum jussu ceperit certos homines, ideoque vestem clericalem indutus fuerit, carceri, sed ad arbitrium Inquisitorum, addicitur. Uti & *Bernardus Lopes* Christianus Novus (b) natus Bena-venti in Regno Castellæ, incola urbis Bragantiæ, cum Ecclesia reeconciliatus, quod ob culpas judaismi an. 1719. captus esset, ut hoc carcere luat culpas easdem. *Andreas Lopes* natus in vico Sancta Valha in confinibus urbis Montisfortis, incola urbis Bragantiæ, cum in actu fidei An. 1704. abjurasset

(b) Sunt autem Christiani Novi, qui a Majoribus judæis, olim christiana fidem amplexis sanguinem ducunt. conf. §.IX

judaisimum, nunc vero ob eundem captus esset, carceri ex arbitrio inquisitorum addicitur & tres deinde annos ex Regno exulare jubetur. *Manuel Carvalho* incola urbis Bragantiæ, jam An. 1685. propter judaisimum conciliatus cum ecclesia, ob relapsum in eundem, carcere arbitrario & quinque annorum exilio multatur.

§. II.

Certe ex delictis priorum octo iniquitas, quæ in tribunali hoc committi potest, imo non raro solet, plusquam clarissime elucet, quod juramenta non exigantur circumspectius, nec testes probentur cautius, & ii praeficiantur non raro iudices, de quorum integritate justa esset suspicionis occasio. Quod si etiam ipsa tanto crimini inflicta poena sub examen vocetur, ea delictis tam atrocibus, qualia sunt perjuria praemeditata ad innocentem evertendum, testes falsi subordinati ab ipso tribunali hujus commissario, haudquaquam videtur respondere. Majora sane Ægyptiorum lege, teste **DIODOR. SICULO**, perjuriis decreta erant supplicia, tanquam enim duplici tenerentur scelere, ut qui & pietatem in Deos violarent, et fidem inter homines tollerent, capite omnes puniebantur; Neque est, quod veterum hic colligamus sententiam, graviora sane meriti fuerant testes hi falsi, si justa Magnanimi Hassiæ Nostræ Principis Philippi mente dijudicari debuissent, is enim in *Ordinatione Criminali* An. 1545. publicata §. 48. falsis istiusmodi dolosisque testibus eandem dictat poenam, quam falso suo testimonio in caput infantis volebant derivare. Quod ipsum etiam **Articulo LXVIII.** Nemeseos Carolinæ iisdem dictatum legimus, neque praxis hodierna penitus abit, dum, si damnum, quod falsus testis intendebat, secutum est, & homo perierit, testem homicidam capite puniendum leges dictant.

§. III.

§. III.

Quod si tamen arcanam procedendi methodum, qua tribunal hoc metuendum utitur, penitus rimemur, falsa multorum testimonia in ipsis potius iudicibus, quam in testibus, quam acerbissime castiganda esse existimamus, quod illi miseras iniquitatis suæ victimas ad falsa testimonia ferenda non inducant tantum, sed invitas etiam gravissimorum suppliciorum metu tantum non cogant. Ut enim Gallus Auctor *Narrationis de Inquisitione Goana cap. 20.* verissime memorat, si quis, innocens licet & a judaismo abhorrens, a septem testibus judaismi accusatus, fuerit in carcerem Inquisitionis raptus; innocentiam suam iudicibus esto semper testatus fuerit, si, imminente, sic dicto, Actu Fidei (c), in ipsa innocentiae suæ professione

A 3

fessione

(c) Nomine Auto da Fe eam compellant celebritatem, quæ institui solet, dum in carceres inquisitionis compacti, post duorum aut trium etiam annorum moram demum in publicum producuntur, suam relaturi sententiam. Illius, cujus Catalogum huic dissertationi subijcimus, solennia sic describunt literæ, die 9. Aug. 1713, ab *αυτοκρατή* datae. Ante domum inquisitionis erectum fuit amplum theatrum, contra pluvias & reliquas aëris injurias panno, qua laneo, qua lineo, tectum, in medio erat altare cum antependio nigro serico, in eo crux & utrimque candelabra cum candelis accensis, ad illud accessus est per viam arctam, dispositis utrimque scamnis cinctam, in fronte theatri aliud erat altare cum antependio rubro, in quo etiam crux cum duobus candelabris. Juxta illud longa serie sedent inquisitores, Clerici primo loco, sequuntur Qualificatores ex variis ordinibus religiosis. Ad sinistram juxta altare sedent Canonici Cathedralis Ecclesiae & hæc erat facies Theatri versus septentrionem; orientem versus ipsi theatro impositum erat aliud theatrum, scamnis ita dispositis, ut posterius superemineat antecedenti. Hoc in theatro sedebant rei omnes, singuli inter duos primarios civitatis aut dioceseos, quos vocant companheiros, qui etiam a carcere

fessione perseveret, tanquam convictus, at pertinaciter negans, ad rogam condempnatur, & triduo ante ipsam supplicii diem non mors solum eidem denunciatur, sed & judici seculari, ut vincula ei injiciat, permittitur; in hoc supplicii atrocissimi metu constituto adjunctus Clericus constanter inculcat, ut crimen, cujus revera insons saepe est, confitendo ignem effugiat; quod si in tantis angustiis constitutus se reum mentiatur, eaque omnia repetat, quae a testibus contra se deposita intellexit, ab his ipsis iudicibus compellitur, ut, suam iis probaturus integritatem, eos ipsos nominet, qui suo eum testimonio, pari ratione coacto, Inquisitoribus denunciarunt. Quae ipsa nominatio, esto innocenti sit impossibilis, nisi tanquam convictus & negans exuri velit, ab invito tamen est suscipienda, adeoque, cum eos, qui in hanc illum calamitatem coniecere pari ratione coacti, ignoret, consanguineos, amicos, vicinos, notosque falso suo testimonio in dirum hoc baratrum praecipitat, pari atrocitate ad alios etiam innocentes suo testimonio insimulandos adigendos. Qua iniquitate quid gravius esse queat, quid magis detestandum, vix videmus. conf. idem *Auct.* cap. XLVII. & seq.

§. IV.

cere pulcro ordine eos deducunt ad hunc locum, gestantque singuli ad pectus crucem auream, quos inter tum etiam visus Comes de Eryceyra. Occidentem versus e regione theatri, in quo rei sedebant, erat cathedra, quam conscendit praedicator ex ordine S. Bernardi, Doctor Theologiae, vir senex, qui judaismum confutavit, & reos ad poenitentiam hortatus, benedixisset, si vox, quae senem deficiebat, orationi accessisset. Ea horae spatio absoluta, a Clerico ex eadem cathedra lecta sunt aliquot decreta pontificum, cui successit alius Clericus, qui, cum singuli rei ordine accessissent ad altare in medio erectum, adstante aliquo justitiae Ministro, elata voce legebat singulorum crimina & poenas, stantibus ante altare reis plicatis manibus vel ante pectus in modum crucis decussatis demissisque oculis.

§. IV.

Neque juvat ipsos Inquisitores, si ea se velint excusatione tueri, quod, factum proprium confessus, ejusdem reus sit habendus, adeoque ejusdem de complicibus assertum fidem in judicio hoc plenam promereri videatur. Quod enim ea testimonium complicumque denunciatio non fiat ab isthoc homine, nisi mortis atrocissimæ evitandæ causâ, adeoque intuitu commodi proprii; neque etiam ipsi Inquisitores ab omni suggestione sint immunes, utpote qui capto non tantum sufficientem numerum testium indicant, sed ipsa crimina, quorum accusatus est, seriem eorum & numerum declarant; quam nulla sit testium istiusmodi assertio, nemo non videt. Profecto, nominati in ipso Inquisitionis Catalogo, & a nobis §. I. adducti, falsi testes neque innocentem gravassent, neque dolose adeo mali esse potuissent, si debita circa testes cura, & hoc in officio, adhiberi soleret. Laudandus sane, præ toto hoc inquisitionis officio, est Jesuita FRIDERICUS SPEE, qui, cum in processu, contra sagas Treviris instituto, deprehenderet, innocentissimos ab illis, qui, ex aliorum testium accusatione magiæ rei habiti, ad supplicium atrox ducebantur, ejusdem sceleris accusari, non auctor tantum fuit, processus ut hic a Summa Potestate suspenderetur, sed edito etiam libello cautelas, in hoc sagarum judicio solícite observandas, cum orbe erudito communicavit. A quo ipso tempore propter non admissa quorumcunque testimonia sagarum illa inquisitio ipsos inter Pontificios cessavit.

§. V.

Qui in Catalogo nostro tertium & decimum obtinet locum est *Petrus Johannes de Ralo* (d), multatur hic carcere arbitra-

(d) De eo memorat, not. c. allata, epistola, senem eum fuisse 113. an-

bitrario & unius anni ex Episcopatu Viseensi exilio, quod morbos sanare voluerit superstitiose, & in eam inciderit præsumptionem, atque si pactum cum ipso diabolo inierit, cui jungenda est *Catharina da Costa a Chacra*, quæ ob istiusmodi actiones ex Episcopatu Braccarensi exulare iubetur. Docemur sane ab eo, falsum esse illud MARTINI DELRIO commentum, Protestantibus sane iniquissimum, quo is, in Proloquio ad *Disquisitiones Magicas*, verbis odium veræ Religionis Spirantibus, calumniatur, *magna semper hæreticis cum magis commercia, & in Trevirensi ditione ætate proveciores non in equuleo solum, sed & post quæstiones iudicibus confessos esse criminatur, se hac labe primum imbutos, quo tempore tetrum illud & tartareum Lutheranismi fulcrum provinciam illam flamma ferroque prædabundus vastabat.* Quæ quam a vero aliena sint, non docent modo Acta Eruditorum Lipsiensiæ Mensis Octobris A. 1704. pag. 437. & seq. sed & hic ipse Petrus docet Magiæ suspectus, & ab omni cum Protestantibus conversatione remotissimus. Sane nullibi minus ea animos hominum fascinavit opinio, atque in ipsis terris, ubi Orthodoxa Veritas & candide docetur, & ea ipsa opera præjudicatæ opinioniones e mortalium animis sollicitè eximuntur. Quod ipsum si a Lusitanis etiam fieret studiosius, qui hoc solum de Protestantibus sciunt, eos in Concilio Tridentino damnatos esse, parum solliciti, quid hi ipsi doceant, quam illud cum Evangelio conveniat, imo non raro credunt, ipsos Protestantes (utpote ipsis hæreticos) monstra esse cornibus instructa aut Pani altero pede similia, profecto nec Inquisitores nec inquisiti in ea probra sese ipsos præcipitarent.

§. VI.

annos natum, qui in ipso Actu Fidei in sede ad Altare a duobus deferri debuerit, prælectum ei fuisse, quod variis superstitiosis medicinis varios morbos curarit, ubi scriptor Epistolæ addit: perquam ridicula ei prælegebantur, & nescio quæ pacta cum

§. VI.

XIV. *Johannes Gonsalves*, quod blasphemias scandalosas & temerarias protulerit, carcere arbitrario & duorum annorum ex Episcopatu Guardensi exilio punitur; XV. *Antonius Gonsalves*, propter cooperationem ad actus cum reverentia, Eucharistiæ & sacris imaginibus debita, pugnantes addicitur fustigationi publicæ & triremibus (e) in octo annos, qui vero hos ipsos actus (f) irreverentia plenos ipsi peregerant *Benedi-*

diabolo, ipsi scriptori Pontificio visa ridicula & incredibilia.

(e) Quod Lusitani triremibus careant, per Triremes intelligitur carcer, in quem ad triremes damnati conjiciuntur, duo hic una semper catena octo circiter pedes longa colligantur, & quot diebus ad navale Ulyssiponense mittuntur, ut quoscunque etiam durissimos labores vilissimosque peragant, nisi eos pecunia, præpositis clam oblata, redimant, capite raso, indusio telæ crassioris & interula coloris cœrulei uti & pallio griseo distinguuntur, quot diebus libram & semissem panis bis cocti præduri & nigri, & quovis mense sex pondo carnis salsæ, uti & lentium aut fabarum accipiunt, ne fame pereant. Quotidie, pauca si excipiamus festa, ex carcere hoc ad navale itinere dimidii miliaris ducuntur, ut labore a summo mane ad horam undecimam, & ab hora i. ad vesperam macerentur. conf. Auct. Hist. Inquis. Goan. cap. 44.

(f) Quæ homines hi prodiderint irreverentia argumenta, nos quidem later, quam facile tamen hoc in genere peccare quis queat, dabimus verbis Hist. Inq. Goan. c. 41. *Un jour, scribit aucteur de seipso, m'approchant de la Sainte Table, pour y recevoir le Corps adorable de JESUS CHRIST, celui, de la main de qui je le recevois, qui étoit un cordelier de l'observance, remarqua, que je baissois la veuë pendant, qu'il proferoit, Domine non sum dignus & quoique je n'eusse alors d'autre intention, que celle de m'aneantir en la presence de mon Dieu; ce bon pere interpréta mal cette mar-*
que

neditus de Aranzo, & Benedictus Carvalho eadem fustigationis & triremium poena, sed in annos decem, castigati leguntur. Qua ipsa in poenarum, cum blasphemis, tum irreverentibus, irrogatarum, diversitate id merito deploramus, minorum in iis Gentibus esse ipsius Numinis reverentiam, quam imaginum, hominum manu fabricatarum. Tum vero etiam non immerito horum ipsorum hominum sortem singulari aliquo ex capite miseram adeo fuisse suspicamur, quod non ignoremus, quam exigua cum reverentiae alicujus significatione ipsa hostia consecrata, magno cum apparatu pompaeque in ecclesiis publicae venerationi exposita, excipi alias soleat. Sa e vidimus eodem anno 1713. Conimbricæ ipso die Jovis Sancto hostiam in Jesuitarum ecclesia expositam, at, qui eandem gestu humili veneraretur, qui preces funderet, & Christum, quem praesentem ipsi credebant, adoraret, non vidimus; potius scamnis insidentium & inter se non sine strepitu confabulantium copiam tota in ecclesia licuit & videre & audire. Bracaræ in solenni, & totius Lusitaniae concursu frequentissima, processione observavimus, post primum crucis labarum, carrucam a bobus tractam, & recenti gramine plenam, cui larvatus & ursi in morem vestitus incumbebat juvenis, cui, quoties consistebant bones, licitum erat ex carruca hac sua desilire & strophia aliaque spectantibus eripere; quod non tantum cum nullo inquisitionis metu conjunctum erat, sed ab ipsis Inquisitoribus spectabatur, nullo aliquem irreverentiae, in hostiam

sub

que de mon respect, ensorte, qu'il ne pût s'empecher de mele reprocher a quelques jours de la, & de me dire, qu'il n'y avoit pas lieu de douter, que je ne fusse encore heretique, puisque je ne daignois pas regarder la sainte hostie, quand on me la presentoit. Profecto his in oris mutata paulisper sententia cum CURTIO dicere licet: si, quum indicamus, invisi, & cum tacemus, suspecti sumus; quid facere nos oportet?

sub finem hujus processiois gestatam commissæ, sensum aut ore aut gestu prodente.

§. VII.

Qui sequuntur XVIII. XIX. & XX. hoc in actu inquisitionis producti *Manuel Marcus Ferreira*, *Blanca de Chavanes* Christiana nova, & *Josepha Henriquez*, postquam omne cum diabolo pactum omnemque magiam abjurarunt, in quinque annos exilio *Craftomarino* & perpetuo ex Archiepiscopatu *Bra-carensi* exilio puniti sunt, esto utraque mulier conjugio innexa esset. Ut non repetamus ea, quæ §. V. diximus, profecto non videmus, qua ratione sententia hæc ab iniquitate absolvi possit; vel enim tres hæ personæ adeo malevolo fuerunt animo, ut hominibus re ipsa damnum grave intulerint, aut adeo a Deo Optimo Maximo fuerunt alienæ, ut se diabolo, quantum in ipsis erat, totas vellent devovere, & nemo non videbit pœnam utroque in casu ipsi delicto nequaquam conformatam; vel enim pro ratione damni illati graviori, etiam mortis ipsius supplicio, ut probe ostendit *BAELIUS Tom. I. Reponse aux questions d'un Provincial cap. 35.* castigandi fuissent, vel meliora docendi, & matrimonii vinculum, quod apud ipsos sacramentum est & indissolubile, adeo facile quoad thorum & mensam, & conjunctam cum ea prolium educationem, hac ratione non fuisset separandum, sed, ut bene *THOMASIUS in Tract. de Crim. Magiæ*, pro stabilienda Paparum tyrannide & inquisitione hæreticæ pravitatis expedit conservari & propagari doctrinam de existentia magiæ & artium magicarum, quod ipsum quam non raro sagarum imaginarium numerum augeat, non male cum *MALEBRANCHIO de Inquir. Verit. l. 2. cap. ult.* deducit *BAELIUS* loc. cit. cap. 39. & 40. ubi & jocatur, rei hujus abrogandæ perutilem fore congregationem de propagan-da incredulitate.

§. VIII.

Qui hos subsequitur *Gabriel Henriquez de Sa* Christianus Novus, cum de sta Junii hujus anni ab ipsa inquisitione cum fide Christiana conciliatus esset, & judaismum ejurasset, carcere arbitrario (g) & habitu perpetuo condemnatur. Qua ipsa in sententia id imprimis desideramus, quod, cum ii, qui sese ipsos inquisitioni sistunt, delictaque sua priusquam capti fuerunt confitentur, in tribunal hoc ex ipsius inquisitionis legibus rapi non debeant, sed cum ecclesia conciliati salubribusque instructi monitis ab inquisitionis Commissario demitti soleant, hic ipse annorum XXI. juvenis & in carcerem raptus & pœna saltem aliqua eaque perpetua castigatus fuerit. Sed, cum textor esset sericarius, qui in urbe Bragantia parata abundant pecunia, ipsæ hominis hujus divitiæ captivitatem ipsi confecisse videntur, quod notum sit, ipsos inquisitores primas in id conferre curas, ut omnia in carcerem inquisitionis detrusi bona studiose indagent, ea in Indicem mitti jubeant, non ut possessoribus ea deinde reddant, sed in suum tandem commodum convertant, ut suo confirmat exemplo Auctor Historiæ Inquisitionis Goanæ Cap. XIV. XIX. & XXXVII.

§. IX.

Quod vero hic jam mentio Christianorum Novorum facta sit & in sequentibus quam frequentissime facienda, & nominis hujus originem et miseram horum Christianorum sortem paucis expediemus. Cum Ferdinandus catholicus & Isabella non Mauros tantum sed & Judæos e tota ejicerent Hispania, & ne
iidem

(g) Carcer, cui hic aliique sequentes adjudicantur, intelligi nequaquam debet de carcere inquisitionis, cui hætenus inclusi latuere, sed carcer hic iis dicitur publicus, in quo miseri captivi aut suorum aut piorum eleemosynis vitam trahere, aut cum ultima rerum omnium pecunia confictari coguntur. vid. Auct. Hist. Inquis. Goan.

iisdem in regna illa redirent, tribunal Inquisitionis in ipsa Hispania constituisset; non pauci judæorum, ne pto cul in exilium migrare cogerentur, in ipsam sese contulere Lusitaniam, idque, quod Lusitaniæ Rex Johannes II. iisdem liberum in Regno suo domicilium erga annum tributum capitis publicis regiisque literis indulgeret. Verum cum Emanuel Thronum Lusitanicum an. 1495. obtinuisset, & matrimonio junctus fuisset Isabellæ, & ea mortua, Mariæ Ferdinandi Catholici Filiabus, harum denique persuasione precibusque induci se passus est, ut & ipse acerrimo mandato non Judæos tantum omnes Regno suo pelleret, sed & eorundem liberos, qui XIV. ætatis annum nondum excefferant, baptizari imperaret. Moti ea liberorum suorum jactura adulti multi simulata aut sincera etiam voluntate baptismi sacramento initiari sese voluerunt. Atque hi ipsi eorumque per tot jam secula descendentes Christianorum Novorum nomine appellantur, e quorum etiam numero non eximuntur ii, qui ab alterutro progenitorum, ex his familiis descendente, sanguinem suum ducunt, & *Temparte de Christam novo* dicuntur, & hi omnes aliorum, qui se Christianos Veteres dicunt, & odium & aversionem in hanc usque diem amoliri a se nequeunt, ideo etiam coacti inter se & matrimonia & necessitudines contrahere, mutuamque a se invicem expectare auxilium. Quod ipsum, ex ipsa necessitate profectum, eorum non tantum odia auget, sed & variis eos periculis exponit, ut innocentes etiam, ab amicis innocentibus, sed (§. 4.) per falsa aliorum testimonia ad Inquisitionis tribunal raptis, & ipsi judaismi accusentur.

§. X.

Habitu ipsum; quam ex carcere educendi induere debent, quod attinet, is pro ratione eorum, qui in actu fidei ex carcere inquisitionis producantur, diversus est; præterquam

quam enim, quod omnes veste nigra albo filo distincta, cujus manicæ ad ipsam usque manum protenduntur, & femoralibus, ad ipsos talos descendentibus, induuntur, huic ipsi vesti super injicitur pannus alius flavi coloris a pectore & tergo dependens, qui rubra cruce Andream seu decussata depictus, & *Sambenito* dici solct, iisque distinguendis datur, qui contra fidem Christianam quacunq; demum ratione peccarunt, seu Judaicis, seu Mahometanis superstitionibus, cum Christiani essent, se polluerint, seu magiæ aut hæreseos crimine se macularint, dummodo crimina ea prima nunc vice commiserint. Qui vero in eadem crimina relapsi, & in carcerem missi, illa ipsa confessi sunt, antequam sententia in eosdem lata fuerit, aut, qui, primo istiusmodi criminum contra Christi fidem convicti, eadem post sententiam in se latam denique fatentur, panno quidem simili utrimque dependente, sed grisei coloris & flammis ubique dispersis, sed deorsum versus tendentibus picto, qui *Fogo Revolto* dicitur, distinguuntur; Qui vero ab inquisitoribus convicti censentur, ipsi tamen hæc delicta sua confiteri nolunt, panno quidem grisei etiam coloris, sed flammis sursum tendentibus, variisque dæmonum figuris interspersis picto, rogo addicti esse declarantur, dicitur vero horum pannus *Samarra*, in cujus antica & postica parte ipsa accusati effigies ad vivum delineata, ardentibus titionibus imposita, una cum nomine & crimine descriptis cernitur; quæ ipsa *Samarra* a supplicio inquisiti in Dominicanorum aut alia etiam ecclesia ad perpetuam inquisiti infamiam & gloriam & triumphum inquisitorum suspenditur. Qui vero habitus §. 8. Gabrieli perpetuo gestandus dictatus est, ab aliis vero ad inquisitorum arbitrium gestandus, est pannus ille flavus cruce rubra decussata notandus, quem ad ruborem suum & in signum, quod sub inquisitorum potestate fuerint, conspicuum exteriorem subter togam induere coguntur.

§. XI.

Qui Gabrielem proxime excipiunt Christiani Novi, *Ignatius de Mesquita, Alfonsus de Valença o Caruncho, Manoël Texeyra da Costa, Jacobus Rodrigues Lobo, Joannes de Paz o Perica, Franciscus Ferreyra*, Judaismi prima omnes vice accusati, eundem in forma egerare debuerunt, ideoque damnati, ut ex arbitrio inquisitorum carcere affligerentur, habitumque (*Sambenito*) quem in ipso actu fidei induti erant, ad ejus usque detritionem gestarent, infami ea veste deinde liberandi. Pari poena damnati *Philippus Rodrigues Nunes, Antonius de Barros, Petrus de la Faya de Crasto, Antonius Correa, Manoel da Costa, Johannes Rodrigues Sordo*, Medicus, esto altera jam vice hi judaismo solenni juramento renunciarent. Eadem sententia iis dictata, qui tertio judaicas ceremonias egerabant, *Martinus da Cunha, Antonius da Costa Chacla; Daniel vero da Costa, Johannes Rodrigues Pimentel, & Benedictus Pereyra*, etsi tertia cum superioribus vice judaismo renunciare debebant, ad gestandum ex arbitrio inquisitorum habitum, (*Sambenito*) *Salvator vero Pimentel* ad eundem perpetuo gestandum sunt damnati. Quæ potuerit esse iniquitas harum sententiarum liquet ex §. 4., quod nimirum ab aliis, esto innocentibus, sed rogum declinare cupientibus, delati & ipsi sui ipsorum accusatores & aliorum delatores ut existerent, ab ultima se impulsos necessitate miseri crederent.

§. XII.

Quod vero aliis habitus ad arbitrium, postremo autem habitus perpetuo gestandus sit dictatus, id gravioribus judaismi argumentis & frequentiori ceremoniarum judaicarum exercitio merito imputamus; inprimis quod ii, qui Quarta jam vice Judaismum solenni sacramento egerare coacti sunt, teste Catalogo nostro, carcere duriori non mancipandi tantum, sed &

ad

ad habitum perpetuo gestandum a judicum sententia damnati, pronunciantur; sunt autem *Manoël Rodrigues Coutinho, Francisco Ramires, Garcia Baptista, Joseph de Sa Vargas, Antonius Martinus Ledesma*, ex alterutro aut paterno aut materno genere Christianus Novus, conf. §. 9. *Caspar Rodrigues Ledesma o Colego*. Eidem etiam poenæ easdem ob causas subjecti leguntur cum *Melchior de Sa Vargas*, Josephi modo dicti pater, *Manoël de Oliveyra, Sebastianus da Costa Chacra, Johannes de Crasto, Casparus Luis, Gonsalus Gonsalvez*; quam etiam sortem ii subire tenentur, qui sexto jam eundem judaismum egerarunt, *Michael da Sylva, Johannes da Costa Texeira, Johannes da Sylva de Moraes, & Josephus de Sa Pilam*, qui postremus omni spe ponendi habitum illum contumeliosum ex judicum sententia spoliatur. Demum etiam *Johannes Henricus Nunes*, ante hunc inquisitionis triumphum demortuus, & falso utique accusatus, in gremium ecclesiæ & inquisitorum gratiam receptus declaratur, uti & *Catharina Mendes*, quæ ob culpam relapsus in judaismum in inquisitionem rapta decessit.

§. XIII.

Viros excipiunt mulieres, in theatrum inquisitionis productæ, quarum duæ priores, *Antonia*, nimirum, *Francisca de Carvalho, & Barbara Texeyra*, quod falsum contra alium dictum testimonium in ipso inquisitionis tribunali perjurio confirmassent, illa triennali in Regno Algarbiæ exilio addicitur, posterior, ut in quinquennium in S. Thomæ insulam exsul deportetur, & viginti millia realium parti offensæ dissolvat, condemnatur, insigni rursus documento, quam exigua circa testimonium conditionem hoc in judicio cura adhibeatur, ut adeo verissime sæpe laudatus *Auctor Historiæ Inquisitionis* dicat *Cap. 19.* „Jamais on ne confronte les temoins, on reçoit pour temoins toutes sortes des personnes, même scelles, qui sont in-

ter-

tereffées de la vie a la condamnation de l'accusé, on ne reçoit, jamais aucun reproche de sa part contre les temoins les plus no- toirement indignes d'être écourez, & le plus incapables de de- poser contre luy. Le nombre de ces temoins est souvent re- duit a cinq; on comprend dans le nombre de ces temoins les, complices pretendus, qui ne deposent que dans la torture, & qui, ne peuvent sauver leur vie, qu'en avouant ce, qu'ils n'ont pas, fait, & on comprend dans le nombre de sept le coupable pre- tendu, qui avouant a la question le crime, qu'il n'a pas com- mis, est reputé temoin contre soy meme; souvent même ce, nombre de sept est reduit a rien, parce qu'il n'est composé, que des complices pretendus, qui sont veritablement innocens, du crime, qu'on leur a imposé, & que l'inquisition rend effe- ctivement criminels, les obligeant ou par les memaces du, feu, ou par la torture a accuser l'innocent pour sauver la vie? quæ verbis ipsius Auctoris, propria docti experientia, referre placuit, ut iniquitas sacri hujus tribunalis tanto limpidius appa- reret;

§. XVI.

Quam ipsam ex *Ludovici Pessoa Dessa*, viri nobilis, elegantissimi ditissimique, casu adhuc certius licet intueri. Cum variis causis politicis implicitus is fuisset, eaque ra- tione multorum in se concitasset odia, ab his demum in- quisitoribus delatus est, atque si, cum Christianorum no- vorum a stemmate descenderet, domi suæ judaicas obser- varet ceremonias, trahitur ipse, conjux, duo filii, filia alii- que aliquot cognati in carcerem inquisitionis Conimbricen- sem, bona ipsius cum mobilia tum immobilia, ex quibus po- sterioribus plusquam 30000. librarum Gallicarum annui reditus percipiebat, a sacro officio fisco addicuntur, & cum nullius sibi conscius accusare se non posset, elapso fere triennio cri- men judaismi, cujus accusatus erat, indicatur, & nisi id ipse

confiteatur, sententia feralis eidem significatur. Ille, omnium innocens, negare, polliceri, se testes falsi testimonii convicturum, si sisterentur, omniaque agere, ex quibus facile iudices innocentiam ipsius cognoscere potuissent. Sed cæci ad hæc omnia iudices Ludovicum rogo addicunt. Inter hæc Dux de Cadaval, Ludovici nostri e sacro fonte susceptor, omnia agebat, quo eundem liberaret, ideoque ab ipso Inquisitore Generali id demum promissum, receptæ inquisitionis formulæ alias contrarium, obtinebat, futurum, & Pessoa mortem evitaret, si factum suum confiteretur etiam ex carcere inquisitionis jam productus, quod cum, a missis a Duce inductus, finito inquisitionis actu demum faceret, dicens: eamus, & falsa fateamur, ut amicorum nostrorum desideriis satisfiat, post biennii carcerem in novo actu fidei productus, quinquennali carcere & quinquennio ad triremes damnatus demum evasit, insigne futurum æquitatis horum iudicum documentum.

§. XV.

Sed redeamus ad catalogum nostrum, tertia quæ in eo occurrit est *Antonia Cardoza Crystaleyra*, quæ in ipso inquisitionis carcere famulata fuit; hæc fustigationi publicæ, quinque annorum exilio, in Brasilia trahendo, addicitur, & incapax declaratur, quæ S. Officio unquam possit famulari, idque quod impediverit & perturbarit rectum S. Officii ministerium, violando & aperiendo secreta illius. Non est, quod hæc multis consideremus, cum nemini non notum sit, eum tantummodo lucem fugere, qui male agit; e diverso autem illos, qui sincerum justitiæ observant tramitem, acta sua dictaque omnium oculis subjecta esse, non facile tantum pati, sed & intime percipere. Qui tamen consuetus est sacris hisce inquisitoribus mos, omnia sua perpetuo silentio damnata cupiunt, ideoque eos etiam, quos e carceribus suis emittunt, tacto S. Evangelio,

gelio,

gelio , polliceri jubent , se nihil eorum unquam revelaturos , vel quæ ipsis acciderunt , vel quæ quacunque demum ratione ad eorum notitiam pervenerunt.

§. XVI.

Maria Alvares ; quod actiones superstitiosas , magicas hic dictas , patrarit , & se pacti cum Satana initi suspectam fecerit , arbitrario carceri & anni unius extra Archiepiscopatum Bracarensem exilio adjudicatur , *Isabella vero Fernandes a Galega* quod cooperta sit ad irreverentias , hostiæ consecratæ , imaginibus & vasis sacris exhibitas , fustigatione & quinquennali in Angolæ Regno exilio multatur. Conf. dicta §. V. & VI. *Catharina autem de Figueyredo* propter culpas magicas , superstitiosas & vehementem præsumptionem pacti , cum diabolo initi , carceri ad arbitrium Inquisitorum mancipanda , & trium annorum exilio ex urbe Ehora multanda , declaratur.

§. XVII.

Quæ has sequuntur , familiæ suæ probrum , utpote Christianorum Novorum sanguine progenitæ , luere videntur ; nam *Eleonora de Oliveyra* , *Catharina Gomes* , *Blanca de Oliveyra* & *Violanta Pereyra* carceri & habitui ad arbitrium inquisitorum gestando adjudicantur , idque quod de judaismo graviter suspectas se fecerint , cui juratæ nunc renuntiare sunt coactæ. An enim ex sola suspicione , aut testium merito suspectorum denuntiatione , judex carceri aliquem mancipare , mediis , soli huic inquisitionis tribunali propriis , ad quamcunque confessionem cogere illum possit ; præcipue in casibus , reip. ipsius salutem nequaquam attingentibus , id Jctis nos quidem decidendum permittimus , nos sola ratione duce licitum id esse pernegamus.

§. XVIII.

Carceri deinde , ab arbitrio judicum determinando , uti & gestando habitui illi , quem in ipso publico actu sibi inje-

Etum viderunt, damnantur *Philippa Borges, Helena Lopes, Eleonora de Saa, Maria Fernandes, Philippa Rodrigues & Maria Ferreyra*, quæ judaismi a pluribus, sua præprimis confessione, convictæ prima vice in forma, quod ajunt, eundem juratæ rejecerunt, quibus additur *Feliciano Fernandes*, Mariæ filia, quæ altero jam juramento, etsi viginti tantum annos nata, judaicas ceremonias egerare cogitur. Carceri vero arbitrario & habitui perpetuo gestando adjudicantur *Anna Rodrigues, Maria Nunes, Catharina Nunes, Maria Nunes, Maria Cardoza Nunes*, quæ altera etiam vice judaismum in forma egerare coguntur; eandemque pœnam sustinere jubentur *Brigitta Gonsalves, Isabella de Ledesma, Violanta de Oliveyra*, quæ tertio judaicas ceremonias a se deserendas juratæ promiserunt. Quæ vero quartum in forma judaismum egerare debuerunt, *Marianna Pereyra, Messia de Moraës, Maria Carvalho, Josepha Henriques, Maria da Sylva Meya, Philippa Rodrigues Pereyra, Isabella Laria da Sylva* 3. *Quartos, Isabella Nunes*, eidem cum superioribus pœnæ subjectæ declarantur, nisi quod ultimæ perpetua ignominiosi habitus gestatio non modo injungitur, sed præter crucem etiam signa rogi commeriti eidem habitui inferenda præcipiuntur, insuperque exilium septem annos in Regno Angolæ peragendum imponitur.

§. XIX.

Catharinam, filiam *Philippi Ericeira*, defunctam & ab Inquisitione cum Ecclesia conciliatam, denique subsequuntur infelices Sacræ hujus Crudelitatis victimæ, *Manoel Rodrigues de Carvalho & Isabella Mendes*; qui Judaismi, ut Catalogus noster loquitur, convicti, ficti christiani, falso Judaismum egerantes, pœnitentiam simulantes, crimen suum confessi & impœnitentes justitiæ seculari traduntur, ut igne exurantur (b).

Qua

(b) De his memorat epistola nostra not. c. allata, eos e theatro disces-

Qua ipsa in sententiæ formula illud sane admirandum, imo deplorandum, videtur, quod Inquisitores publice præferant, atque si ob horum hominum impoenitentiam iis gratiam facere nequeant, sed coactos se videant, ut eos ex legum rigore puniant, unde & eos a se invitis, brachio seculari tradi simulant, ipsosque sententiæ exsecutores instanter rogant, ut hi clementiam & misericordiam miseris his demonstrent, & si pœna mortis eos afficiendos censeant, ea saltem absque effusione sanguinis condemnatis irrogetur.

§. XX.

Novimus quidem, ex Lusitanorum opinione id supplicii genus probrosum maxime haberi, quod corpus in partes dividit, ideoque mortis reos, etiam infimæ nobilitatis homines, suspendium pœnæ gladii præeligere, aut si homicidæ sanguis fundi debeat, ejusdem gulam ad colli usque vertebram ita incidit, ut damnatus cum sanguine vitam quidem amittat, corpus tamen illius in partes nequaquam secetur. At honorifico huic mortis generi pœnam ignis annumerari non posse, nemo non videt, quod exusti corpus, in cineres & favillas redactum, in partes, non numerandas, atroci sane pœna redigatur. Unde & hoc miserorum supplicium nulli gratiæ nulli misericordiæ imputari posse existimamus, sed ideo eligi censemus, quod suppliciorum omnium gravissimum ignis semper ab hominibus sit existimatum.

C 3

§. XXI.

discessisse, petitisque iudicibus nova confessos esse crimina, imprimis mulierem fassam, quod Hostiam Consecratam in sterquilinum conjecerit, conculcarit aliaque cum ea egerit, at tamen tam felicibus iis esse non licuit, atque Ludovico Pessoa §. 14. sed, cum complices saltem omnes confiteri noluerint, circa nonam vespertinam cremati sunt, primo strangulati, quia pœnitentes.

§. XXI.

Volunt, fatemur, videri Inquisitores, atque si, in clementiam proni, ab omni crudelitate sint alienissimi, ideoque verbis ipsum Magistratum Civilem obtestantur, (§. XIX.) ut miseris clementiam demonstrent. Sed, si verum loqui licet, crudelis profecto hæc est ipsorum clementia, quod non ignorent, Magistratum Civilem ab ulteriore causæ totius cognitione animum avertere, idque unum damnatos rogare, qua in confessione mori velint, & si, quod frequentissime contingit, se Christianos morituros asserant, prius strangulatos exuri, sin vero in judaica confessione pertinaces permaneant, vivos cremari jubere. At, qui, ab his iudicibus seculari traditus potestati, ab hac ipsa rogo liberatus sit, hæctenus inventus est nemo, quod ipsum quam cum mansuetudine clericali pugnet, nemo non, præjudiciis vacuus, facile videbit. Certe, si ex omnium Scriptorum Pontificiorum, qui Theologiam, Moralem ipsis dictam, scripsere, sententia is irregularitatem incurrit Clericus, qui operatur aliquid, quod aut mortis ipsius causa sit, aut eandem etiam accelerat, ut ipse confessarius, si quem ad supplicium comitetur, & accelerando gressum causa sit, ut a iudice laico damnatus prius supplicio afficiatur, atque alias factum esset, irregularitatem, teste CLAUD. LA CROIX, incurrat, quod hoc ipsum cum mansuetudine pugnet clericali; profecto non dispicimus, qua ratione hi Inquisitores sese ipsos ab irregularitatis vinculo immunes possint existimare, ideoque id, quod PETRUS DE BOLLO, *Oeconomie Ecclesiasticæ Class. III. Cap. IV. §. X. pag. 461.* asserit: quod *Inquisitor tradens hæreticum iudici seculari, licet instet, ut comburatur, non fiat irregularis*, falsum omnino, & cum aliis Pontificiorum principiis nequaquam cohærens, pronunciamus.

§. XXII.

At dicet non nemo tollendum zizania & comburendum igni;
imo

imo e reip. uniuscujusque commodis esse, ut pravi homines ex reliquorum consortio non removeantur tantum, sed & aliorum ad terrorem gravioribus suppliciis ex viventium numero ejiciantur; sed quis, sana usus ratione, ea unquam fuit sententia, atque si locus ille, de extremo judicii die & justissima judicis sapientissimi sententia intelligendus, Tribunali huic, non uni pontificio populo jure inviso, cum ratione possit applicari; pravos e reliquorum consortio removendos esse, sana veraque suadet Politica; at ii tales esse debent, qui publicam læserint salutem, aut ea egerint, quæ eidem evertendæ hominibusque ab ipso humanitatis sensu alienandis quam certissime nata sunt & apta; Qualia profecto nec ea sunt, quæ in Catalogo nostro occurrunt, quemadmodum ab aliorum regnorum felicitate, ubi istiumodi tribunalia nulla sunt, quam invictissime docemur. Et vero, quæ major potest reip. inferri calamitas, atque si ea frequenti pauperum miserorumque numero impleatur, quod tamen ex, solenni illa huic tribunali, bonorum omnium confiscatione necessario consequi debet, cum hominis tribunali huic semel subjecti bona nunquam aut eidem aut ejus etiam liberis restituantur, sed, seu reum se coactus fateatur, seu in innocentia sua asserenda perseverans tanquam impœnitens supplicio addicatur, inquisitoribus semper adfit certus captos eorumque familias bonis legitime acquisitis exuendi prætextus. Viderunt id sane sapientissimi Veneri, ideoque teste MAMBRINO ROSEO *L. VIII. delle Istoire del Mondo ad an. 1565.* a Papa rogati, ut inquisitionem in terras suas recipe-
rent, cum iniquum existimarent esse, quod filii ad mendicitatem redigerentur ob delicta parentum, Papæ responderunt: se Papæ quidem in omnibus ad conservandam fidem necessariis prompte auscultaturos, sed cum totus reip. status esset pontificius, non videre se, quæ necessitas leges adeo severas persuaderet, potius, si quem perniciofa infectum doctrina deprehendissent, eum ipsum se ex merito castigaturos, hereditatem vero insontibus liberis solícite conservaturos. Quod ipsum serenissimæ reip. judicium & sapientissimum & ex reip. ipsius & ex privatorum commodis formatum diserte iniquitatem ipsorum inquisitorum nos edocet.

§. XXIII.

Neque tamen est, quod, Tribunalis hujus processum tanta
cum

cum severitate, conservari, miremur, ut enim Auctor Gallus Hist. Inquis. Goan. c. 21. omnium eorum, qui ad Tribunal hoc rapiuntur, bona fisco addicuntur, quod (c. 23.) ipsum cum insigni Inquisitorum eoque duplici emolumento est conjunctum. Nam cum bona hæc fisco addicta publice sub hasta venduntur, si quid rari pretiosive inter ea reperitur, misso domestico id ipsum sibi comparant, & quod nemo majori eam rem pretio sit licitaturus, res istiusmodi vix pretii dimidio suas faciunt; ipsa insuper pecunia, ad feralem hanc hastam collecta, etsi thesauro regio inferri dicatur, ipsorum inquisitorum subest arbitrio, quod eo gaudeant jure, ut thesaurario regio imperent, quoties placuerit, ut summas sibi placentes ad ferendas impensas & secretas S. Officii necessitates levandas quantocyus submittat, quod ipsum cum citra ullum examen statim fiat, honore insuper & potestate incredibili & redditibus officio suo annexis gaudeant; ratio sane facile patescit, cur hunc divitiarum suarum fontem nolint exarescere, sed omnium industria faciant copiosiores.

§. XXIV.

Objicit quidem *Sup. cit.* PETRUS DE BOLLO *Class. III. c. 3. §. 5.* & Inquisitionis Tribunal commendaturus, id in primaria Hispanorum collocat felicitate, quod hæresis Calvinii & Bezae in Hispanorum agro efficere nil potuerit, quia qui vineam Hispanicam plantavit, sepe eam circumdedit, id est, inquisitione, qua repulsam tristissimam passi sint audaces isti novatores. Sed, ut nihil nunc dicamus de toties refutata illa calumnia, qua Protestantibus foedum hereticorum nomen citra omnem rationem, imo contra ipsas imperii nostri leges fundamentales, etiam hodiedum non raro imponitur, ut Fidei Nostræ Confessionem, a tot Theologis invictissime demonstratam, nunc nos extra fori electi limites non tueamur; duplici sane ex capite ipsam Inquisitionem Religioni Christianæ gravissimo esse detrimento facile evincemus. Primo, teste ipso Catechismo Canisiano, Religio Christiana non postulat ignorantiam, sed lumen divinum, quo illustratus homo firmiter iis assentitur, quæ Deus ipse revelavit & credenda proposuit. At ubi major rerum credendarum est ignorantia, atque iis in locis, ubi inquisitio labarum suum explicat? Ipsa Scriptura S., etsi ex ipso vulgato textu expressa & cum Concilio Tridentino apprime conveniens,

niens,

niens, si in linguam versa sit vulgarem, ex omnium eripitur manibus, Conciones S. iis in locis sunt rariores, & si quæ habeantur, ea non tam explicando textui sacro, quam explicandis populo curiosis oratoris sacri cogitationibus, impenduntur, plebs ipsa, si Symbolum Apostolorum teneat, & si quotidie rosarium, quod dicunt, ab incedentibus per plateas & mutuo confabulantibus deblateretur, si ritus solennes & Ecclesiæ Romanæ præcepta observentur; etsi Deiparam inter & sanctam aliquam discernere nequeat, orthodoxa existimatur, & apprime in religione vera instructa. Audivimus sane Conimbricæ mulierem, quæ, ut S. Quiteriam honoraret, rosarium ejus honori non recitabat tantum, sed & eandem Matrem Dei, benedictam inter mulieres & benedictum fructum ventris ejus Jesum distincta voce compellabat. Novimus Catechetam publicum & in urbe Portuensi unicum, qui, dum catechesin diebus Dominicis in publica urbis platea explicaret, ubi Protestantes memorabat, id unum dicere noverat: Angli & Hollandi sunt hæretici, ideoque æternæ damnationi destinati: Rogatus vero, ut articulos controversos ex Scriptura S. pro sua exponeret confessione, ingenue fateri debebat, se nec scire, quid hæretici illi docerent, nec id unquam audivisse, sibi sufficere, quod a Tridentino Concilio damnati essent. præclarum certe ignorantia promotorem!

§. XXV.

Quod si vero in ipsas Indias animum lubet appellere, alterum idque gravissimum Ecclesiæ Christianæ propagandæ impedimentum ab ipsa Inquisitione objectum vidit *Auctor Hist. Inquis. Goan.* C. 22. dum scribit: Indi, cum, Gentilismo addicti, variis assueverint superstitionibus, ut futura v. g. præsciant, ut furem occultum agnoscant, aliisque, si baptizati fuerint, & ex curiositate ad istiusmodi superstitionem relabantur, etsi rudes omnino sint & Doctrinæ Christi minus gnari, ideoque castigationem potius & instructionem, quam rogam, mereantur, si altera vice ad tribunal hoc rapti fuerint, rogo addicuntur; Mahometani vero & Gentiles non baptizati, etsi centies istiusmodi superstitiones committant, & ad tribunal hoc rapiantur, solo, exilio flagris aut tiremibus puniuntur. Quod ipsum ipsis Mahometanis & Gentilibus gravissimo est impedimento, ne Christi fidem amplectantur, eoque ipso sese rogi supplicio faciant obnoxios, quem Ethnicismo aut Mahometanismo addicti semper effugiunt. Unde & addit: *Le S. Office, bien loin d'etre utile*

dans ces pais pour la propagation de foy , ne sert , qu'a eloigner les peuples d'eglise , & a leur en donner de l'horreur. Quæ ipsa etiam genuina, et si occulta est ratio, cur tanto jam tempore tam exiguum in oris illis Romana Religio fecerit progressum, esto ipsi harum rerum Scriptores Pontificii aliis id ipsum causis hæctenus imputarint.

§. XXVI.

Et vero si Germaniam intueamur nostram, quæ in ea publica auctoritate publicum confessionis suæ obtinent exercitium ecclesiæ, nullo Inquisitionis Tribunali conservatæ, nulla Inquisitorum aliquorum arte & industria fuerunt propagatæ; insigni sane documento fidem doceri debere, non constituto horrendo istiusmodi tribunali aut servari aut propagari, utpote quod nec a Christi præcepto, nec ab Apostolorum virorumque Apostolicorum exemplo ullam unquam nactum est auctoritatem, sed tum enatum fuit, cum ultima Clerus laborans ignorantia non haberet, quæ viris se longe eruditioribus & a Cleri superstitione alienioribus ex Scriptura S. opponeret. Ut enim obtenta semel auctoritas, ut opes, ut deliciae servarentur innoxia, cum rationibus non possent, ferro eas & igni cum Conrado nostro Marburgensi servandas esse sibi persuaserunt.

§. XXVII.

Quem sibi tribunal hoc addit Titulum *Sacri Officii*, is inconueniens est eidem, quod ejusdem actiones sanctitatis pallio apud eos celari non possint, qui rejecto cortice nucleum ipsum intuentur. Non aliam profecto nos in toto hoc negotio sanctitatem possumus apprehendere, atque eam, quam sibi imaginari potuit Heliogabalus, lupus ille hominum, ut eum appellat TH. LANGIUS p. 401. dum ignem Vestalium perpetuum & omnes Religiones Romanas extinguere voluit, atque efficere, ut Heliogabalus Deus unus & solus coleretur: huic enim similes eidem LANGIO habentur Inquisitores, utpote qui omnibus contendunt modis, ut clarissimo sinceræ Christianæ Religionis lumine, & una aliis sectarum fatuis ignibus deletis, unicum inquisitionis idolum inter perpetua & cruenta humanæ carnis sacrificia toto terrarum orbe celebretur, dignissimi ideo habendi, quibus illud OWENI quotidie iaculcetur:

Omnia diruitis, nihil ædificatis in orbe,

Zelus hic, an scelus est? fervor hic, an furor est?

Spiritus at vestris etiam prætenditur ausis.

Qualis at hic vester spiritus est? abaddon.

T A N T U M.

